Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1111
Quelle:
Copyright:

ad rem pertinet. Initium:

Non imprudenter fit questio mota frequenter.
Cur sit adoptatus iacob. esau reprobatus &c.

XLIX. *ibid.* p. 2. *Epitaphium Sepulchri.* Anonymi Militis. Hexastichon, quod infit:

De nichilo nichil est. si quid fuit est homo nil est.
Est homo factus humo. nil humus est et homo &c.

Atque hic finiunt Poematia Sec. saltem XIII. ineunte descripta, quorum plurima saepe dictorum *Hildeberti* et *Marbodi* esse non ambigo. Et utinam *Codicis* hujus, quemadmodum etiam *Codd.* quos in *Indice* colligimus, notitiam habuisset *Beaugendreus*, vel potius Partem poeticam alter suscepisset editor, qui, ut alia taceam, notissimum *Martialis* Epigramma: *Rumpitur invidia quidam* &c. non adtribuisset *Marbodo!* — Sed nunc ad Prosaica *Codicis* tardius ut plurimum exarata passum faciamus.

L. *ibid.* De *Eucharistia.* Locus de Sacrificio Missae. Locus *Augustini* de Psalmis. *Flores de diuersis sententiis.* Haec quidem breviora eadem manu, qua *Poematia*, exarata sunt.

LI. *fol.* 100. Congeries Exemplorum ad usum, ut videtur, Concionatorum. *De sancto Alexio, de sancto Eustachio, ad simplices seculares et rusticos de fidelitate, ad nobiles et religiosos de penitentia, ad omnes de oracione* &c. *Cantipratanum* aut *Caesarium Heisterbac.* te legere putes. Manus Sec. XIV.

LII. *fol.* 127. absque inscriptione *Dialogus* fabulosus inter *Anselmum* quaerentem, et *Mariam* narrantem Passionem filii sui. Incipit: *Notandum quod beatus Anselmus longo tempore cum lacrimis et oracionibus et ieiunijs rogabat* &c. Extat in *append.* Opp. *Parisiis per Gabr. Gerberonium* 1721. p. 488. f. inscriptus *Planctus B. Mariae* in XVI. *Capita* divisus, et exemplo nostro, quod definit: *et ei conpaciebantur;* aliquanto productior. Manus Sec. XIV.

LIII. *fol.* 140. p. 2. *Incipit vera relacio de assumptione beate virginis marie quam beatus mileto* (Melito) *sarden. episcopus a beato apostolo Johanne audiuit et scriptam in libro quem ecclesie edidit fratribus leodicensibus misit.* Initium: *Mileto seruus christi — cum nobis* (vobis) *de uita prophetarum uel incarnacione dominica duo opuscula condidissem* &c. Recitat totum hoc principium *Lambecius* L. *Comment.* VIII. p. 190. ad quem jam remisi *Cod.* CLXIV. Adparet inde differentia *Codicis* nostri ab Editis *Bibl. PP. Lugd.* T. II. P. 2. p.